LEX FRISIONUM.

LEX ANGLIORUM ET WERINORUM.

UTRAMQUE BREVI ADNOTATIONE CRITICA INSTRUCTAM
IN DISCIPULORUM USUM

EDIDIT

IOANNES DE WAL,
IN ACAD. LUGD. BAT. IUR. PROF. ORD.

AMSTELODAMI ET LUGDUNI-BATAVORUM
APUD GEBHARD ET SOCIOS.

MDCCCL.

Ex typographeo H. R. de Breuk.

PRAEFATIO.

Consilium opusculi ex inscriptione satis intelligitur. Desiderabant humanissimi Auditores, scholas meas de Historia Iuris Neerlandici frequentantes, separatam editionem earum legum, quas antiquitus in patria nostra viguisse aut in recentioris aetatis instituta vim exercuisse constat. Eorum commodis, quod ad Legem Salicam adtinet, ante paucos hosce menses egregie prospexit Merkelius, vir eruditus: ornavitque Iacobus Grimmius opusculum praefatione, eleganti doctrina referta. Eundem Merkelium nuperrime et Legem Angliorum et Werinorum illustrasse e nuntiis literariis tunc demum didici, cum iam typis expressa esset mea qualiscunque editio. Hanc quoque legem superiori anno Genglerus inseruit compendio de Historia Iuris Germanici, cuius libri, ingenti lectionis apparatu abundantis, prior tantum hucusque prodiit fasciculus.

—

Adnotationem addendam censui criticam, quippe necessariam iis, qui recentiorum de antiqui Iuris Germanici originibus et conditione commentariis operam navare cupiant. Ad singula vero capita explicanda nihil adiiciendum existimavi, ne opusculi moles praeter consilii mei rationes cresceret. Illud unum opto ut carissimi commilitones ex hoc libello utilitatis quemdam fructum percipiant.

LEX FRISIONUM.

Editiones:

1. Originum ac Germanicarum Antiquitatum libri, Leges videlicet Salicae, Ripuariae, Allemannorum, Boiaoriorum, Saxonum, Westphalorum, Angliorum, Werinorum, Thuringorum, Frisionum, Burgundionum, Longobardorum, Francorum, Theutonum. Studio Woluffgangi Abbatis Principis Fuldensis, opera vero Basilii Joannis *Herold*. Basileae per Henrichum Petri. 1557. fol. p. 131—148.
2. Codex Legum Antiquarum, in quo continentur Leges Wisigothorum, caet. Quibus accedunt Formulae solennes priscae nunc primum editae et Glossarium sive interpretatio rerum vocumque difficilium et obscuriorum. Ex Bibliotheca Frid. *Lindenbrogii* I. C. Francof. 1613. fol. p. 490—509.
3. Lex Frisionum sive Antiquae Frisiorum Leges, a reliquis veterum Germanorum Legibus separatim aeditae et notis illustratae a Sibrando *Siccama* ICto. Franekerae. 1617. 4.

4. Beschryvinge van de Heerlyckheydt van Frieslandt tusschen 't Flie end de Lauwers (door *Schotanus*). 1664. fol. p. 23—35.
5. Saxonum Leges Tres. Accessit lex Frisiorum cum notis S. Siccamae, ed. C. G. *Gaertner*. Lips. 1730. 4.
6. Corpus Iuris Germanici Antiqui, quo continentur Leges Francorum Salicae et Ripuariorum, caet. Consilio Jo. Gottl. Heineccii adornavit Petrus *Georgisch*, I. V. D. Hal. 1738. 4. p. 410—444.
7. Groot Placaat- en Charterboek van Vriesland, door G. F. *thoe Schwartzenberg en Hohenlandsberg*. Leeuw. 1768. fol. t. I. p. 1—40.
8. Barbarorum Leges Antiquae, cum notis et glossariis — collegit I. P. *Canciani*. Venet. 1781. fol. t. III. p. 1—30.
9. Corpus Iuris Germanici Antiqui. Ex optimis subsidiis collegit, edidit et lectionum varietatem adiecit Ferd. *Walter*. Berol. 1824. 8. t. I. p. 351—374.
10. Lex Frisionum. In usum scholarum recensuit, introductione historico-critica et adnotatione instruxit. Ern. Theod. *Gaupp*. Vratisl. 1832. 8.
11. Friesische Rechtsquellen. Von Dr. Karl Freiherrn *von Richthofen*. Berlin 1840. 4. p. XXIX—XLII.

CAPITULA LEGIS FRISIONUM.

1. De homicidiis.
2. Forresni.
3. Thiubda.
4. De servo aut iumento alieno occiso.
5. De hominibus, qui sine compositione occidi possunt.
6. De coniugiis ignoratis.
7. De brand.
8. De notnumfti.
9. De farlegani.
10. De testibus.
11. De lito.
12. De delicto servorum.
13. De stupro ancillarum.
14. De homine in turba occiso.
15. De compositionibus wergildo.
16. De fredo.
17. De banno.
18. De die dominico.
19. De parricidiis.
20. De mordrito.
21. De plagio.
22. De dolg.

ADDITIO SAPIENTUM.

1. De pace faidosi.
2. Compositio vulnerum.
3. De vulneribus, quae in triplo componuntur.
4. De eo, qui alteri viam contradixit.
5. De eo, qui alterum de caballo iactaverit.
6. De muliere occisa.
7. De flumine obstruso.
8. De rebus fugitivis.
9. De pignoribus.
10. De compositione.
11. De re praestita.
12. De honore templorum.

INCIPIT LEX FRISIONUM.

ET [1] HAEC EST SIMPLA COMPOSITIO.

TIT. I. DE HOMICIDIIS.

I. [2] Si nobilis nobilem occiderit, LXXX sol. componat, de qua mulcta duae partes ad haeredem [3] occisi, tertia ad propinquos eius proximos pertineat.

II. Et si negaverit ,se illum occidisse, adhibitis secum XI eiusdem conditionis hominibus iuret.

III. (II) [4]. Si nobilis liberum occiderit, sol. LIII [5]. et unum denarium solvat, et si negaverit, cum VII sacramentalibus iuret.

Inter Laubachi et Wisaram [6] cum V, et cis Fli [7] similiter.

IV. (III). Si nobilis litum occiderit, XXVII solid.

---

1) *Frisionum. Et.* Richthofen: *Frisionum*, *et.*

2) I. Heroldus: PARAGRAPHUS 1, uti et in sequentibus. Richthofen: § 1.

3) *haeredem.* Lindenbr. Georg. Walter, Gaupp: *heredem.*

4) III (II). Numerus uncis inclusus seriem indicat paragraphorum in editione Lindenbrogiana.

5) *Sol. LIII.* Lindenbr. *solid. LIIII.*

6) *Wisaram.* Heroldus et Richthofen: *Vuisaram.*

7) *cis Fli.* Heroldus aliique: *Cisfli.*

uno denario minus componat domino suo, et propinquis occisi sol. IX excepta [1] tertia parte unius denarii, et si negaverit, cum tribus iuratoribus se excuset.

Inter Laubachi et Wisaram et cis Fli cum duobus [2].

V. (IV). Si liber nobilem occiderit, LXXX solid. componat, aut si negaverit, cum XVII iuret.

Inter Wisaram et Laubachi et cis Fli cum XXIII iuret.

VI. (V). Si liberum occiderit, sol. LIII et unum denarium solvat, aut si [3] negaverit, cum undecim sacramentalibus iuret.

VII. (VI). Si litum occiderit, solid. XXVII uno denario minus componat domino suo, et propinquis occisi sol. IX excepta tertia parte unius denarii, et si negaverit, cum quinque sacramentalibus iuret.

VIII. (VII). Si litus nobilem occiderit, similiter LXXX solid. componat, aut si negaverit, cum triginta quinque iuratoribus suae conditionis se excuset.

Inter Laubachi et Wisaram et cis Fli cum XLVII [4] iuret.

IX. (VIII). Si liberum occiderit, solid. LIII et unum denarium solvat, et si negaverit, cum viginti tribus sacramentalibus iuret.

X. (IX). Si litum occiderit, solid. XXVII uno denario minus componat domino suo, et propinquis occisi solidos

1) *excepta.* Ita Walter et Gaupp, Siccamam secuti: Heroldinam lectionem *excepto* sequuntur Lindenbrogius et Richthofen. Similiter in sequentibus.

2) *cum duobus.* Addunt Heroldus et Lindenbrogius, quos secuti sunt Georgisch et Walter: *Ultra* (Heroldus: *Inter*) *Wisaram et Laubachi et Cisfli cum XXIII iuret.* Sed haec ad § V pertinere optime docuit Gaupp, Miscellen des deutschen Rechts, 2, 3.

3) *aut si.* Herold, Lindenbr. et Richthof. *et si.*

4) *cum XLVII.* Omnes editores praeter Gauppium: *cum XLVIII.* Lectionem vulgatam rationibus haud idoneis defendere videtur Richthofen, Fr. RQ. XXIX.

IX excepta tertia parte unius denarii, et si negaverit, sibi duodecimus iuret.

Inter Fli et Sincfalam weregildus nobilis C solidi, liberi, liti XXV (solid. denarii III novae monetae). Inter Laubachi et Wisaram weregild. [1] nobilis CVI solidi et duo denarii, liberi LIII solidi et denarium [2], liti XXVI solidi et dimidius et dimidius tremissis [3].

XI. (X). Si quis homo, sive nobilis, sive liber, sive litus, sive etiam servus, alterius servum occiderit, componat eum iuxta quod fuerit adpretiatus, et dominus eius, ipsius [4] pretii eum fuisse, sacramento suo iuraverit [5].

XII. (XI). Quod si quaelibet ex praedictis personis hoc homicidium se perpetrasse negaverit, iuxta quod summa pretii [6] occisi mancipii fuerit aestimata, maiori vel minori sacramento se excusare debebit.

Inter Laubachi et Wisaram suam habet compositionem.

XIII. (XII). Si servus nobilem, seu liberum, aut litum, nesciente domino occiderit, dominus eius, cuiuscunque conditionis [7] fuerit homo qui occisus est, iuret, hoc se non iussisse, et mulctam eius pro servo, bis simplum, componat.

XIV. Aut si [8] servus hoc se iusso [9] domini sui fecisse dixerit, et dominus non negaverit, solvat eum,

---

1) *weregild.* Lindenbr. et Richth. *weregildus.*

2) *denarium.* Lindenbr. Georg. Walt. Gaupp: *denarius.*

3) *Et dimidius et dimidius tremissis.* Lindenbr. tantum: *et demidius tremissis.*

4) *ipsius.* Lindenbr. et Gaupp: *istius.*

5) *iuraverit.* Lindenbr. *iuret.*

6) *pretii.* Herold. et Richth. *precii.* At vid. § XI et Tit. XXI.

7) *conditionis.* Iidem: *condicionis.* At vid. § II. VIII. XX.

8) *Aut si.* Lindenbr. *At si.*

9) *iusso.* Siccama, Lindenbr. Georg. Walt. Gaupp: *iussu.*

sicut [1] manu sua occidisset, sive nobilis, sive liber, sive litus sit.

XV. Et si servus hoc se perpetrasse negaverit, dominus eius iuret pro illo.

XVI. (XIII). Si nobilis erat qui occisus est, et nobilis ille cuius servus est, cum tribus sacramentalibus iuret.

XVII. Si liber erat qui occisus est, duas partes praedicti sacramenti cum duobus, nobili [2] uno et uno libero iuret.

XVIII. Si litus erat, ipse medietatem sacramenti cum uno lito iuret.

XIX. (XIV). Si dominus servi liber est, et nobilis qui occisus est, sua sexta manu pro servo sacramentum perficiat.

XX. Si suae conditionis, id est liber erat, cum tribus aeque liberis iuret.

XXI. Si litus erat, cum uno libero sacramentali iuret.

Inter Laubachum et Wisaram [3] dominus servi non iuret, sed componat eum ac si ipse eum occidisset [4].

---

1) *sicut.* Lindenbr. et Gaupp: *sicut si.*

2) *duobus, nobili uno et uno libero.* Heroldus, Siccama, Lindenbr. Georg. Walt. *duobus nobilibus et uno libero.* Richth. *nobili.*

3) *Wisarum.* Editores: *Vuisuram*, *Wisuram.*

4) *Inter Laubachum — occidissit.* Hunc locum ad finem § XIII retulit Gauppius. Licet vero sententia ad §§ XIII—XXI universe pertineat, nulla tamen idonea ratio suadet, ut illam in alium locum transponamus.

TIT. II. FORRESNI. [1]

I. Si nobilis nobilem per ingenium alio [2] homini ad occidentem [3] exposuerit, et is qui eum occidit, patria relicta profugerit, qui eum exposuit tertiam partem leudis componat.

II. Si vero homicida non fugerit, nihil solvat sed tantum inimicitias propinquorum hominis occisi patiatur, donec, quomodo potuerit, eorum amicitiam adipiscatur. [4]

III. Si autem hoc fecisse dicitur, et negaverit, cum [5] III sacramentalibus iuret, si ille, qui hominem occidit, profugium fecit. Sin vero homicida infra [6] patriam est, expositor nihil iuret, sed tantum inimicitias propinquorum occisi hominis patiatur, donec cum eis, quoquo modo potuerit, in gratiam revertatur.

IV. Si nobilis liberum hominem exposuisse dicitur, tertiam partem leudis eius comp. [7], si extra patriam fugit, qui hominem occidit. Si vero infra patriam est, nihil solvat. Quod si negaverit, similiter sicut de nobili sacramentum iuret, tertia sacramenti portione adempta, propter viliorem personam liberi hominis.

V. Si de lito idem scelus ei imputetur, et homicida

1) *Forresni.* Ita Herold, Siccama et Richthofen; caeteri: *De foresni.*

2) *alio.* Sic omnes editores, excepto Gauppio legente: *alii.*

3) *ad occidentem.* Lindenbr. Walter et Gauppius: *ad occidendum.*

4) *adipiscatur.* Lindenbrogius: *adpiscatur.*

5) *cum III.* Heroldus, Siccama et Richthofen: *cum tres.* Walter et Gaupp.: *cum tribus.*

6) *infra patriam.* Gaupp.: *intra patriam.* Ita et in sequentibus.

7) *comp.* Richthofen cum Lindenbrogio: *componat.*

defuerit, ut superius de libero sacramentum perficiat, adempta ipsius sacramenti dimidia portione; solvens tertiam portionem leudis eius, si negare non potuerit. Et si is, qui eum occidit, infra patria fuerit, sicut superius diximus, expositor nec iuret, nec leudem solvat, sed tantum [1] inimicitias propinquorum occisi patiatur, donec se cum eis reconciliet.

VI. Si liber in nobilem hominem tale scelus dicitur perpetrasse, similiter ut nobilis sacramento se excuset, addita super sacramentum, quod nobilis iurare debet, ipsius sacramenti tertia portione; aut si negare non potuerit, et homicida defuerit, solvat tertiam partem leudis eius. Si vero homicida infra patriam fuerit, nec iuret, nec aliquid solvat, sed tantum inimicitias propinquorum occisi patiatur, donec cum eis in gratiam revertatur.

VII. Si vero de libero idem scelus ei [2] imputetur, sibi quarto sacramentum iuret, vel si homicida profugerit, tertiam portionem leudis eius componat, si negare non potuerit. Si vero homicida infra patriam est, nec iuret, nec aliquid solvat, sed tantum, ut superius, faidosus [3] permaneat, donec in gratiam cum propinquis occisi revertatur.

VIII. Si de lito idem agitur, adempta [4] sacramenti dimidia portione, iurare debebit; aut si negare non potuerit et homicida profugium fecit, ut superius diximus, tertiam portionem leudis eius componat. Si vero homicida profugium non fecit, expositor nec iuret, nec

1) *sed tantum.* Ita cum Heroldo, Siccama, Waltero et Gauppio: Lindenbrogius et Richthof.: *sed.*

2) *ei.* Siccama, Walter et Gaupp: *illi.*

3) *faidosus.* Lindenbr.: *faydosus.*

4) *adempta.* Herold, Lindenbr. et Richthofen: *dempta.*

aliquid solvat, sed tantum, ut superius, inimicitias propinquorum occisi patiatur.

IX. Si litus de nobili homine eodem scelere fuerit incriminatus, iuret medietate maiori sacramento, quam liber de [1] nobili iurare debeat. Aut si negare non potuerit, et homicida defuerit, omnia ut superius de aliis personis scripta sunt, impleat. Quod si de libero idem scelus ei imputetur, medietate maiori sacramento iuret, quam liber de libero iurare debeat: aut si negare non potuerit, et homicida profugerit, tertiam portionem leudis componat, et omnia, ut superius dicta sunt, implere compellatur.

X. Si de lito fuerit incriminatus, sua quarta manu sacramentum perficiat, aut si negaverit, et homicida profugerit, ea quae superius scripta sunt, per ordine [2] impleat.

HAEC WLEMARUS ADDIDIT:

Si quis servum aut ancillam, caballum, bovem, ovem, vel cuiuscunque generis animal, vel quodcunque homo ad usum necessarium in potestate hàbuerit, arma, vestem, utensilia quaelibet, et pecuniam, alii ad auferendnm exposuerit, si ille, qui abstulit, patria profugerit, expositor tertiam portionem compositionis exsolvat, aut si negare voluerit, maiori vel minori sacramento, prout qualitas pecuniae fuerit, se excusare debet. Si [3] qui abstulit, non profugit, expositor nec iuret, nec solvat, sed tantum inimicitias portet eius, cuius pecuniam abstulit.

---

1) *quam liber de.* Herold: *quamlibet de*, quem sequuntur Siccama et Walter. Lindenbr. *quam libeder.*

2) *per ordine.* Lindenbr. et Gaupp: *per ordinem.*

3) *Si.* Gaupp: *Si is.*

TIT. III. THIUBDA. [1]

I. Si nobilis furtum quodlibet dicitur perpetrasse et negare voluerit, cum quinque sacramentalibus iuret.

II. Aut si negare non potuerit, quod abstulit, in duplum restituat, et ad partem regis LXXX solid. pro freda [2] componat, hoc est, weregildum suum.

III. Si liber furti arguatur, et negare voluerit, sua sexta manu [3] cum aeque liberis iuret, aut si confessus fuerit, rem quam abstulit in duplum restituat, et ad partem regis pro freda [4] weregildum suum.

IV. Litus conditionem suam per omnia similiter faciat, id est, sua sexta manu iuret, vel quod abstulit in duplum restituat, et weregildum suum et partem regis pro freda componat.

V. Si servus furti reus esse dicatur, dominus eius in vestimento suo sacramentum pro illo perficiat.

VI. Aut si res grandis erat [5], in reliquiis iuret, aut servum [6] ad iudicium dei in aqua ferventi examinet. [7]

VII. Quod si servus in iudicio probatus [8] apparuerit, vel confessus fuerit, quanti res, quae ablata fuerit,

---

1) *Thiubda.* Lindenbr. Georg. Walt. Gaupp: *De Thiubda.*

2) *pro freda.* Lindenbr. Georg., Walter et Gaupp: *pro fredo.*

3) *sua sexta manu.* Georgisch et Walter: *sexta manu.*

4) *ad partem regis pro freda.* Desunt in edit. Siccamae. Georgisch, Walter, Lindenbr., Gaupp et Richth.: *fredo.*

5) *erat.* Lindenbr. *erit.*

6) *aut servum ad.* Herold: *servum ad aut.* Siccama: *servum aut ad.* Georgisch et Walter, quorum lectionem vulgatam dicit Gauppius: *servum autem ad.*

7) *examinet.* Herold: *exanimet.*

8) *probatus.* Siccama, Georgisch et Walter: *approbatus.*

aestimabitur, tantum dominus pro servo componat, et servus vapulet, nisi dominus quatuor solidis corium eius redimere voluerit.

VIII. Si quis in furto depraehensus fuerit, et ab ipso, qui eum depraehendit, furti arguatur, et negaverit, iuret uterque solus, et ad examinationem ferventis aquae iudicio dei probandus accedat. Si ille, qui fur esse dicitur, fuerit convictus, componat weregildum suum ad partem regis, et manum LX solid. redimat, et in simplo furti compositionem exsolvat.

IX. Si vero is, qui alium furem interpellavit, falso eum calumniatus est, et in iudicio ferventis aquae fuerit convictus, LX solidis manum suam redimat.

TIT. IV. DE SERVO AUT IUMENTO ALIENO OCCISO.

I. Si quis servum alterius occiderit, componat eum, iuxta quod a domino eius fuerit aestimatus.

II. Similiter equi et boves, oves, caprae, porci, et quicquid mobile in animantibus ad usum hominum pertinet, usque ad canem, ita solvantur, prout fuerint a possessore earum adpretiata.

III. Aut si negaverit, iuxta quod iudex dictaverit, iuret.

Hoc inter Laubachi et Sincfalam. [1]

IV. Canem acceptoricium vel braconem parvum, quem barmbraccum vocant, IV solid. [2] componat.

V. Eum autem, qui lupum occidere solet, III solidis [3].

---

1) *Sincfalam.* Siccama, Georgisch, Walter: *Cincfalam.*

2) *IV solid.* Iidem: *III solid.*

3) *III solid.* Iidem: *duobus solidis.*

VI. Qui lacerare lupum, et non occidere solet, duobus solidis.

VII. Canem custodem pecoris, solido componat.

Trans Laub. canem acceptorem VIII, barmbraccum [1] XII, custodem pecorum vel domus IV, qui lupum lacerat, VIII. [2]

VIII. Illum vero, qui nihil facere solet, sed tantum in curte et [3] in villa iacet, una tremisse componat.

TIT. V. DE HIS, QUI SINE COMPOSITIONE OCCIDI POSSUNT.

I. Campionem, et eum, qui in praelio fuerit occisus, et adulterum, et furem si in fossa, qua domum alterius effodere conatur, fuerit repertus, et eum, qui domum alterius incendere volens facem manu tenet, ita ut ignis tectum vel parietem domus tangat; qui fanum effregit, et infans ab utero sublatus et enecatus a matre [4].

II. Et si hoc quaelibet foemina fecerit, leudem suam regi componat, et si negaverit, cum V iuret.

TIT. VI. DE CONIUGIIS IGNORATIS.

I. Si libera foemina lito nupserit, nesciens eum li-

---

1) *barmbraccum.* Siccama, Georgisch et Walter: *barmbracum.*

2) *qui lupum lacerat, VIII.* Addunt Lindenbr., Georg., Walt. et Gaupp: *solid. componat.* Ipse numerus *VIII* omissus in edit. Siccamae.

3) *et.* Siccama et Gaupp: *aut.*

4) *qui fanum effregit et infans ab utero sublatus et enecatus a matre.* Lindenbrogius: *qui fanum effregit et infantem ab utero matris sublatum enecat.* Lectionem Lindenbrogianam perperam, me iudice, praeferendam esse censet Gauppius, l. l. p. 11. not. 11.

tum esse, et ille postea de capite suo, eo quod litus sit, fuerit calumniatus: si illa sua sexta manu iurare poterit, quod, postquam eum litum esse rescivit, cum eo non concumberet [1], ipsa libera permaneat, et filii, quos procreavit.

II. Si vero iurare non possit, in compositionem mariti sui una cum filiis suis transeat.

TIT. VII. DE BRAND.

I. Si quis domum alterius incenderit, ipsam domum, et quicquid [2] in ea concrematum est, in duplo componat.

II. Si autem dominum domus flammis ex ipsa domo egredi compulit, et egressum occidit, componat eum novies, cuiuscunque fuerit conditionis, sive nobilis, sive liber, sive litus sit. Haec constitutio ex edicto regis processit.

Trans Laubachi in fredam novies componit weregildum suum.

TIT. VIII. DE NOTNUMFTI. [3]

I. Si quis rem quamlibet vi rapuerit, in duplum eam restituere compellatur, et pro freda solid. XII componat, hoc est, XXXVI denarios.

Trans Laubachi in simplo componat, et pro freda weregildum suum. [4]

---

1) *concumberet.* Lindenbrogius et Gaupp: *concubuit.*

2) *quicquid.* Lindenbr. *quidquid.*

3) *De Notnumfti.* Siccama: *De Notnumfli.*

4) *et pro freda weregildum suum.* Minus recte ex hisce verbis alterum § finxit Heroldus, quem secuti sunt Siccama, Georgisch et Walter.

TIT. IX. DE FARLEGANI.

I. Si foemina quaelibet homini cuilibet fornicando se miscuerit, componat ad partem regis weregildum suum. Hoc nobilis et libera faciant.

II. Lita vero ad partem domini sui.

III. Si vero ancilla et virgo erat, cum qua quislibet homo moechatus est, componat is, qui eam violavit, domino eius solidos IV, hoc est denarios XII.

IV. Si autem ab alio [1] prius fuit constuprata, solidos III.

V. Si vero tertius hic erat, qui tunc eam violavit, duos solidos.

VI. Si vero quartus, solidum unum.

VII. Si quintus, tremissem unum, et quotcunque postea accesserint, tremissem unum [2] tantum componat [3], id est, culpabilis tremissem.

VIII. Si quis puellam virginem rapuerit, et violatam dimiserit [4], componat ei weregildum eius, sive nobilis, sive libera fuerit, ad satisfactionem, et ad partem regis similiter.

IX. Tertium weregildum patri, sive tutori puellae.

X. Si vero puella lita fuerit, satisfaciat ei similiter solutione weregildi sui, et domino eius decem solidos componat.

XI. Si liberam foeminam extra voluntatem parentum eius, vel eorum, qui potestatem eius habent, uxorem duxerit, componat tutori eius solid. XX, id est denarios LX.

---

1) *ab alio.* Lindenbr. *ab aliquo.*

2) *tremissem unum.* Richthofen: *tremissem.*

3) *componat.* Siccama: *comporant.*

4) *dimiserit.* Siccama et Gaupp: *demiserit.*

XII. Si autem nobilis erat foemina, sol. XXX.

XIII. Si lita fuerit, solid. X domino eius persolvere cogatur.

Inter Laubachi et Wisaram fluvium talis est consuetudo:[1]

XIV. Si nobilis seu liber libero vi aliquid abstulerit, aut ipsum, aut aliud simile in locum restituat, et XXIV solid. pro facti scelere componat, et weregildum suum ad partem regis cogatur exsolvere.

XV. Si autem nobilis vel liber nobili vi aliquid abstulerit, medietate maiori compositione facinus cogatur emendare, et weregildum suum, ut superius, ad partem regis exsolvat.

XVI. Inter litos vis facta, medietate minori compositione[2] solvenda est. Insuper weregildum suum ad partem regis.

XVII. Si servus vi aliquid sustulerit[3], dominus eius pro illo quantitatem rei sublatae[4] componat, ac se ipse sustulisset, et pro weregildo servi IV solid., hoc est denarios XII ad partem regis componat.

TIT. X. DE TESTIBUS.

I. Si quis homo super reliquiis sanctorum falsum sacramentum iuraverit, ad partem regis weregildum suum componat, et alio weregildo manum suam redimat; de coniuratoribus eius unusquisque weregildum suum persolvat.

---

1) *talis est consuetudo.* Recte Siccama, ad h. l. p. 103: »Pertinent sequentia ad finem tituli proprie ad titulum praecedentem *De Notnumfli*, et transposita esse existimo, ut multa sunt in hoc libello mutila, laxata et non suo loco posita."

2) *minori compositione.* Lindenbr. *minoris compositionis.*

3) *sustulerit.* Richth. *sustulit.*

4) *quantitatem rei sublatae.* Lind. *quantitatem rei sublatam.*

TIT. XI. DE LITO.

I. Si liber homo spontanea voluntate, vel forte necessitate coactus, nobili seu libero, seu etiam lito in personam et in servitium liti [1] se subdiderit, et postea se hoc fecisse negare voluerit, dicat ille, qui eum pro lito habere visus est: Aut ego te cum coniuratoribus [2] meis sex, vel septem, vel decem, vel duodecim, vel etiam viginti, sacramento meo mihi litum faciam, vel tu cum tuis coniuratoribus de mea potestate te debes excusare. Si ille tunc iurare velit, iuret, et servitute liberetur. Si autem iurare noluerit, ille, qui eum possidere videbatur, iuret, sicut condixit, et habeat illum, sicut caeteros litos suos.

II. Si litus semetipsum propria pecunia a domino suo redemerit, et unum, vel duos, vel tres, vel quotlibet annos in libertate vixerit, et iterum a domino de capitis sui conditione fuerit calumniatus, dicente ipsi domino: Non te redemisti, nec ego te libertate donavi, respondeat ille: Aut tu cum iuratoribus tuis sex, vel duodecim, vel viginti, vel etiam si triginta dicere voluerit, me tibi sacramento tuo ad servitutem acquire, aut me cum meis iuratoribus tantis vel tantis ab hac calumnia liberare permitte. Si ille, qui dominus eius fuerat, cum totidem hominibus, quorum ei propositi sunt [3], iurare velit, conquirat eum sibi ad servitutem; sin autem, iuret alter, et in libertate permaneat.

---

1) *liti.* Heroldus et Siccama: *litis.*

2) *cum coniuratoribus.* Walter: *nunc coniuratoribus.*

3) *quorum ei propositi sunt.* Lindenbr. et Gaupp: *quanti ei propositi sunt.*

III. Si aut calumniator, aut ille cui calumnia irrogata est, se solum ad sacramenti mysterium perficiendum protulerit, et dixerit: Ego solus iurare volo, tu, si audes, nega sacramentum meum, et armis mecum contende: faciant etiam illud, si hoc eis ita placuerit; iuret unus, et alius neget, et in campum exeant. Hoc et superiori capitulo constitutum est.

TIT. XII. DE DELICTO SERVORUM.

I. Si servus rem magnam quamlibet furasse dicatur, vel noxam grandem perpetrasse, dominus eius in reliquiis sanctorum pro hac re iurare debet.

II. Si vero de minoribus furtis et noxis a servo perpetratis fuerit interpellatus, in vestimento vel pecunia iurare poterit.

TIT. XIII. DE STUPRO ANCILLARUM.

I. Qui cum ancilla alterius, quae nec mulgere, nec molere solet, quam bordmagad vocant, moechatus fuerit, solid. XII mulctam domino eius cogatur exsolvere.

TIT. XIV. DE HOMINE IN TURBA OCCISO.

I. Si homo quislibet in seditione ac[1] turba populi fuerit interfectus, nec homicida poterit inveniri propter multitudinem eorum, qui aderant, licet ei, qui compositionem ipsius quaerere vult, de homicidio usque ad septem homines interpellare, et unicuique eorum crimen homicidii obiicere, et debet unusquisque eorum sua

1) *ac.* Gaupp: *aut.*

duodecima manu obiecti criminis se purificare sacramento. Tunc ducendi sunt ad basilicam, et sortes super altare mittendae [1], vel si iuxta ecclesiam fieri non potuerit, super reliquias sanctorum. Quae sortes tales esse debent: Duo tali, de virga praecisi [2], quos tenos vocant, quorum unus signo crucis dinoscatur [3], alius purus dimittitur, et lana munda obvoluti, super altare seu reliquias mittuntur; et presbyter si adfuerit, vel si presbyter deëst, puer quilibet innocens, unum de ipsis sortibus de altari tollere debet, et interim Deus exorandus: si illi septem, qui de homicidio commisso iuraverunt, verum iurassent, evidenti signo ostendat. Si illum, qui cruce signatus est, sustulerit, innocentes erunt, qui iuraverunt; si vero alterum sustulit, tunc unusquisque illorum septem faciat suam sortem, id est, tenum de virga, et signet signo suo, ut eum tam ille, quam caeteri qui circumstant [4], cognoscere possint; et obvolvantur [5] lana munda, et altari seu reliquiis imponantur, et presbyter si adfuerit, si vero non, ut superius, puer innocens unumquemque eoum singillatim de altari tollat, et ei, qui suam sortem esse cognoverit, rogat. Cuius sortem extremam esse contigerit, ille homicidii compositionem persolvere cogatur, caeteris, quorum sortes prius levatae sunt, absolutis.

II. Si autem in prima duarum sortium missione

---

1) *mittendae.* Herold. et Richth. *mittendi.*

2) *praecisi.* Sic Heroldus et Richthofen; alii *praecisae.*

3) *dinoscatur.* Heroldus: *inoscatur.* Siccama: *ignoscatur.* Lindenbrogius: *dinoscatur.* Walter et Gaupp: *dignoscatur.* Richthofen: *inottatur.*

4) *circumstant.* Lindenbr., Walt. et Gaupp: *circumstant.*

5) *obvolvantur.* Herold, Siccama, Walter: *obvolvant.*

illam, quae crucis signo notata est, sustulerit, innocentes erunt, sicut praediximus, septem, qui iuraverunt, et ille, si velit, alios de eodem homicidio interpellet, et quicunque interpellatus fuerit, sua duodecima manu perfectorio sacramento se debet excusare, et in hoc interpellatori sufficiat; nec ulterius ad sortem quemlibet compellere potest.

Haec lex inter Laubachi et Flehum custoditur.

Caeterum inter Flehum et Sincfalam fluvium pro huiusmodi causa talis est consuetudo:

III. Is qui compositionem homicidii quaerit, in reliquiis sanctorum iuret, se non alium de hac re interpellaturum, nisi eos, qui ei ipsius homicidii suspecti sunt, et tunc unum vel duos, vel etiam tres aut quatuor, vel quotlibet fuerint, qui eum qui occisus est vulneraverunt, de homicidio interpellet. Sed quamvis viginti vel etiam triginta fuerint, non tamen amplius quam septem interpellandi snnt, et unusquisque eorum, qui interpellatus est, sua duodecima manu iuret, et se post sacramentum iudicio, Dei examinandum, fervente aqua innocentem ostendat. Qui primus iuravit, primus ad iudicium exeat, et sic per ordinem; qui in iudicio [1] probatus inventus fuerit, compositionem homicidii persolvat, et ad partem regis bis weregildum suum. Caeteri coniuratores, sicut superius de periuris dictum est.

De eadem re inter Laubachi et Wisaram fluvium talis est consuetudo:

IV. Ille, qui compositionem homicidii quaerit, unum hominem interpellet[2], homicidam eum proximi sui vocans,

---

1) *qui in iudicio.* Herold: *qui iudicio.* Siccama: *cum iudicio*, quem sequitur Walter.

2) *interpellet.* Gaupp: *interpellat.*

et eum leudem occisi debere [1] persolvere; et ille. si responderit, et dixerit se velle cum coniuratoribus suis sacramento se purgare, dicat ille, qui homicidam eum interpellavit, se in placito publico eum interpellare velle, et ita faciat: interpellet eum in placito coram iudicibus, et ille, qui interpellatus est, si negare non poterit, alium, quodsibi obiectum est, homicidii reum ostendat, quod ita facere debet.

V. Producat hominem, quem voluerit, et iuret, quod ille [2] homo homicidii, de quo ego interpellatus sum, reus est, tenens eum per oram sagi sui; ille autem, si hoc sacramentum negare velit, iuret, et contra ipsum cum armis suis in campum procedat: et uter in ipso certamine convictus fuerit, et sibi concrediderit, solvat leudem occisi.

VI. Si autem occisus fuerit, haeres eius proximus homicidii compositionem exsolvat.

VII. In hac tamen contentione licet unicuique pro se campionem mercede conducere, si eum invenire potuerit. Si campio, qui mercede conductus est, occisus fuerit, qui eum conduxit, LX solid. id est, libras tres, ad partem regis comp.; insuper et leudem occisi hominis exsolvat.

Et hoc in eadem regione taliter observatur:

TIT. XV. DE COMPOSITIONIBUS WERGILDO. [3]

I. Compositio hominis nobilis librae XI per veteres denarios.

---

1) *debere.* Richth. *debet.*

2) *quod ille.* Gaupp: *ille.*

3) *wergildo.* Lindenbrog. *weregildo.*

II. Compositio liberi, librae v et dimidia per veteres denarios.

III. Compositio liti librae II et unciae IX; ex qua duae partes ad dominum pertinent, tertia ad propinquos eius.

IV. Compositio servi libra I et unciae IIII et dimidia.

Inter Laubachi et Sincfalam [1]:

TIT. XVI. DE FREDO.

In homicidio ad partem dominicam pro freda XXX solid. componuntur, qui solid. tribus denariis constat.

TIT. XVII. HIC BANNUS EST. [2]

I. Si quis in exercitu litem concitaverit, novies damnum quod effecit componere cogatur, et ad partem dominicam novies fredam persolvat.

II. Qui in curte ducis, in ecclesia, aut in atrio ecclesiae hominem occiderit, novies weregildum eius componat, et novies fredam ad partem dominicam.

III. Si quis legatum regis vel ducis occiderit, similiter novies illum componat, et fredam [3] similiter novies ad partem dominicam.

---

1) *Inter Laubachi et Sincfalam.* His verbis titulum XV claudit Heroldus, quem secuti sunt Siccama, Georgisch et Walter. Ista Lindenbrogius sequenti titulo ita connectat, ut in § 1 legat: *Inter Laubachi et Sincfalam de homicidio* caet.; huic adstipulatur Gauppius, l. l. p: 20. not. 20. Rectius vero Richthofenius iisdem verbis locum servavit, quo in editione principe leguntur, addito duplici puncto, quo ad sequentia pertinere intelligantur.

2) *Hic bannus est.* Lindenbr. et Gaupp: *De banno.*

3) *fredvm.* Gaupp: *fredum.*

IV. Qui manu collecta hostiliter villam vel domum alterius circumdederit, ille, qui caeteros [1] collegit et adduxit, weregildum ad partem regis componat, et qui eum secuti sunt, unusquisque solid. XII, et ei cui damnum, si etiam damnum illatum est, in duplo emendetur.

Ultra [2] Laubachi vero in simplo.

V. Qui mancipium in paganas gentes vendiderit, weregildum suum ad partem regis solvere cogatur. [3]

TIT. XVIII. DE DIE DOMINICO.

I. Qui opus servile die dominico fecerit, ultra Laubachi solid. XII, in caeteris locis Fresiae [4] IIII solidos culpabilis iudicetur.

II. Si servus hoc fecerit, vapulet [5], aut dominus eius IIII solid. pro illo componat.

TIT. XIX. DE PARRICIDIIS.

I. Si quis patrem suum occiderit, perdat haereditatem, quae ad eum pertinere debebat.

II. Si quis fratrem suum occiderit, solvat eum

1) *qui caeteros.* Herold: *quo caeteros.*

2) *Ultra.* Herold: *Ultra in.*

3) Hoc capitulum deëst in editionibus Georgischii et Walteri, non vero in textibus Heroldino et Lindenbrogiano, uti perperam adfirmat Gaupp, L. Fr. 21, not. 21.

4) *Fresiae.* Ita Herold, Lindenbr. et Richthofen; caeteri editores: *Frisiae.*

5) *vapulet.* Typographi, ni fallor, vitio Heroldus: *vapulet̄*, unde Lindenbrogius et Richthofen: *vapuletur.* Cf. III. 7.

proximo haeredi, sive filium aut filiam habuerit, aut si neuter horum fuerit, solvat patri suo vel matri suae, vel fratri, vel etiam sorori suae: quod si nec una de his personis fuerit, solvat eum ad partem regis.

TIT. XX. DE MORDRITO.

I. Qui obsidem occiderit, novies eum componat.

II. Si quis hominem occiderit et absconderit, quod mordritum vocant, novem weregildos componat, aut si negaverit, cum XXXV iuret.

III. Si servus dominum suum interfecerit, tormentis interficiatur. Similiter et litus.

TIT. XXI. DE PLAGIO.

I. Si quis hominem, vel nobilis nobilem aut liberum, vel [1] liber liberum vel liber nobilem extra patriam vendiderit, comp. eum, ac si ab ipso fuisset interfectus, aut eum ab exilio revocare studeat. Si vero, qui venditus fuit, reversus fuerit, et eum, qui se vendiderat, de facinore convenerit, comp. ei bis iuxta quod fuerat adpretiatus, et solid. XII ad partem regis componat.
Ultra Laubachi vero weregildum suum.

TIT. XXII. DE DOLG.

I. Si quis alium per iram in capite percusserit, ut [2] eum surdum efficiat, XXIV solid. comp.

---

1) *vel.* Walter et Gaupp: *aut.* Error repetendus a vitio typographico in editione Siccamae, ubi legimus: *aut liber liberum vel liber liberum.*

2) *ut.* Gaupp: *et.*

II. Si mutus efficiatur, sed tamen audire possit, XVIII solid. componat.

III. Si quis alium ita percusserit, quod durslegi [1] vocant, dimidium solidum comp.

IV. Si autem sanguinem fuderit, componat solidum I.

V. Si eum percusserit, ut testa appareat, cum duobus solid. componat.

VI. Si os perforatum fuerit, duodecim solid. componat.

VII. Si membranam, qua cerebrum continetur, gladius tetigerit, XVIII solid. comp.

VIII. Si ipsa membrana rupta fuerit, ita ut cerebrum exire possit, XXIV solid. comp.

IX. Si quis alteri aurem absciderit, XII solid. componat.

X. Si nasum absciderit, XXIV solid. componat.

XI. Si summam rugam frontis quis ictu transversam inciderit, duobus solid. componat.

XII. Si subteriorem inoiderit, IV solid. componat.

XIII. Si tertiam, quae iuxta oculos est, duobus solidis componat.

XIV. Si supercilium inciderit, duobus solidis componat.

XV. Si palpebram, aut superiorem aut subteriorem, vulneraverit, duobus solid. comp.

XVI. Si nasum transpunxerit, XV solid. componat.

XVII. Si granonem ictu percussam praeciderit, duobus solid. componat.

XVIII. Si maxillam inciderit, VI solid. comp.

XIX. Si unum dentem de interioribus excusserit, duobus solid. componat.

---

1) *durslegi.* Siccama et Walter: *durlegi.*

XX. Si unum ex angularibus dentibus excusserit, tribus solid. componat.

XXI. Si de molaribus unum excusserit, quatuor solid. componat.

XII. Si iugulum incisum fuerit, IIII solid. componat.

XIII. Si costam transversam inciderit, duobus solid. componat.

XXIV. Si brachium ictu supra cubitum confractum fuerit, XII solid. componat.

XXV. Si infra cubitum unum ossium confractum fuerit, VI solid. componat.

XXVI. Si utraque ossa fracta fuerint, XII solid. componat.

XXVII. Si manus in ipsa iunctura, quo brachio [1] adhaeret, abscissa fuerit, XLV solidis componat.

XXVIII. Si pollicem absciderit, XIII solid. et uno tremisse componat.

XXIX. Si indicem absciderit, VII solid. componat.

XXX. Si medium absciderit, uno tremisse minus septem solid. componat.

XXXI. Si annularem absciderit, VIII solid. comp.

XXXII. Si minimum absciderit, VI solid. comp.

XXXIII. Si totos quinque digitos absciderit, XLI solid. componat.

XXXIV. Palma manus abscissa, IIII solid. componatur.

XXXV. Si quislibet digitus ex quatuor longioribus in superioris articuli iunctura ita percussus fuerit, ut humor ex vulnere decurrat, quod lidwagi dicunt, I solid. componat.

---

1) *quo brachio.* Ita tum Heroldus et Siccama, tum Lindenbrogius: recentiores vero, praeter Richthofen: *qua.*

XXXVI. Si in subteriori articulo hoc contigerit, duobus solid. componat.

XXXVII. Si in tertio articulo fuerit, tribus solid. componat.

XXXVIII. Si in iunctura manus et brachii hoc evenerit, quatuor solid. componat.

XXXIX. Si in cubito idem evenerit, IV solid. componat.

XL. Si in summitate, qua brachium scapulae iungitur, evenerit, IV solid. comp.

XLI. Si in pollicis superioris articuli iunctura fuerit, duobus solid. componat.

XLII. Si in inferiori [1], tribus solidis componatur. [2]

XLIII. Si ad iuncturam brachii et pollicis fuerit, IIII solid. componat.

XLIV. Si in cubito, IIII, si in iunctura scapulae, similiter IIII [3] sol. componat.

XLV. Si quis oculum alterius ita percusserit, ut eo ulterius videre non possit, XX solidos et duos tremisses componat.

XLVI. Si totum oculum eruerit, medietatem weregildi sui componat.

XLVII. Si quis alium pectus foraverit, XII solid. componat.

XLVIII. Si praecordia, id est, herthamon, gladio tetigerit, XVIII solid. componat.

XLIX. Si praecordia perforaverit, XXIV solid. componat.

L. Si membranam, qua iecor et splen pendent,

---

1) *in inferiori.* Siccama tantum: *inferiori.*

2) *componatur.* Siccama, Georgisch, Walter, Gaupp: *componat.*

3) *IIII.* Siccama, Georgisch, Walter, Gaupp: *quatuor solidis.*

quod mithridri dicunt [1], vulneraverit, XVIII solidos componat.

LI. Si illud perforaverit, XXIIII solid. componat.

LII. Si in ventrem vulneraverit, XII solid. componat.

LIII. Si botellum vulneraverit, XVIII, si perforaverit, XXIIII solid. componat.

LIV. Si contra stomachum vulneraverit, XII solid. componat.

LV. Si stomachum tetigerit gladio, ut vulneretur, XVIII, si perforatus fuerit, XXIIII solid. componat.

LVI. Si botellus de vulnere processerit, et iterum interius remittitur, IIII solid. supra compositionem vulneris componat. Si de adipe aliquid processerit [2], ut praecidatur, IV solid. componat.

LVII. Si veretrum quis alium absciderit, weregildum suum, si ambo, totum componat.

LVIII. Si unum testiculum excusserit, dimidium weregildum componat.

LIX. Si testiculus exierit per vulnus, et iterum remittitur in locum suum, VI sol. supra compositionem vulneris componat.

LX. Si coxam supra genu vulneraverit, et os transversum fregerit vel praeciderit [3], XII solid. componat.

LXI. Si tibia subtus genuculo media incisa fuerit, VI solid. [4], si tota, XII solid. componat.

---

1) *mithridri dicunt.* Iidem: *mithridi dicitur.*

2) *processerit.* Lindenbrogius, Walter, Gaupp: *praecesserit.* Siccama: *presserit.*

3) *fregerit vel praeciderit.* Omittunt vocabula *vel praeciderit* Georgisch, Walter et Gaupp, Siccamam secuti, nec tamen videntes, et sequentia verba *XII solid. componat* in eius editione excidisse.

4) *sex solid.* Walter et Gaupp: *sex solidos componat.*

LXII. Si pes totus abscissus fuerit, XIIII solid. componat.

LXIII. Si pollicem pedis absciderit, VIII solid. componat. Si proximum digitum, VII. Si tertium, VI. Si quartum, V. Si quintum, IIII solid. componat. Reliqua pars pedis, quae inter tibiam et digitos est, XV solid. componatur.

LXIV. Si humor per articulos digitorum decurrerit, sicut superius de manu scriptum est, ita et in pede componatur.

LXV. Si quis alium iratus per capillos comprehenderit, duobus solid. componat, et pro freda IIII solid. ad partem regis [1].

LXVI. Vulnus, quod longitudinem habeat, quantum inter pollicem [2] et complicati indicis articulum spannum impleat, IIII solid. componatur; quod integrae spannae longitudinem habuerit, hoc est, quantum index et pollex extendi possunt, VI solid. componatur [3].

LXVII. Quod inter pollicem et medii digiti spannum longum fuerit, VIII solid. [4] componatur.

LXVIII. Quod a cubito usque ad iuncturam manus longitudine fuerit, duodecim sol.

LXIX. Quod a cubito usque ad summitatem pollicis longum fuerit, XVIII solid. comp.

---

1) *et pro freda IIII solid. ad partem regis.* Desunt haec omnia in Lind. edit.

2) *inter pollicem.* Herold: *inter nec pollicem.*

3) *VI solid. comp.* Siccama: *sex solidis componat.* Walter et Richthofen: *sex solidis componatur.*

4) *VIII solid.* Omnes editores, excepto Richthofenio: *tredicem solid.* Rectissime vero hic monuit, collationem huius articuli cum superioribus palam declarare, typographi vitio in editione principe legi XIII, loco VIII.

LXX. Quot[1] plene cubiti, id est, ad summos digitos manus extensae longitudine fuerit, XXIIII solidis componatur; quod supra est, non componitur.

LXXI. Si de vulnere os exierit tantae magnitunis, ut iactum in scutum trans publicam viam sonitus eius audiri possit, IIII solid. componat[2].

LXXII. Si duo ossa exierint, duo solidi adiiciantur, id est, VI[3].

LXXIII. Si tria exierint, unus solidus adiicitur[4].

LXXIV. Si minora fuerint, quam ut in scuto iacta trans publicam viam audiri possint, dimidio minori compositione solvatur.

LXXV. Vulnera tria, vel quatuor, vel eo amplius uno ictu facta mensurantur, et iuxta quod eorum fuerit longitudo, compositio persolvatur. Si vero tria, vel quatuor, vel quotlibet vulnera totidem ictibus fuerint facta[5], quod ex his maximum fuerit, iuxta sui longitudinem componatur; caetera vero remaneant.

LXXVI. Si manus percussa manca pependerit, dimidio componatur, quo debuit, si fuisset abscissa; pes similiter; digitus similiter, qualiscunque fuerit; dipedis similiter.

LXXVII. Si brachium iuxta scapulam abscissum fuerit, tribus solid. et tremisse[6] componatur.

LXXVIII. Si brachium mancum pependerit, medietate, si abscissum fuisset, componatur.

---

1) *Quot.* Walter et Gaupp: *Quod.*

2) *componat.* Lindenbrogius et Richthofen: *componatur.*

3) *id est, VI.* Glossema esse videtur haec computatio.

4) *adiicitur.* Siccama, Georg., Walt. et Gaupp: *adiiciatur.*

5) *fuerint facta.* Siccama: *fuerit facta.*

6) *tremisse.* Siccama et Walter: *semisse.*

LXXIX. Si quid [1] de brachio atque manu, ita de coxa ac pede iudicatum est.

LXXX. Si per vulnus pulmo exeat, quatuor solidi supra quantitatem vulneris componantur.

LXXXI. Si spiritus per ipsum vulnus exierit, VIII solid. componatur. [2]

LXXXII. Qui libero homini manus iniecerit, et eum innocentem ligaverit, XV solid. componat, et duodecim solid. pro freda ad partem regis componat.

LXXXIII. Si quis alium iuxta aquam stantem impinxerit, et in aquam, ita ut submergatur, proiecerit, IV solid. componat, et pro freda solid. II.

LXXXIV. Si quis brachium vel coxam alterius transpunxerit, IV solid. componat.

LXXXV. Qui maxillas utrasque cum lingua, sagitta vel quolibet telo transfixerit, XV solid. comp.

LXXXVI. Qui utramque coxam cum folliculo testium telo traiecerit, similiter XV solid. comp.

LXXXVII. Si quis hominem casu quolibet in aquam prolapsum liberaverit, IV solid. remunerationem accipiat.

LXXXVIII. Si quis liberam foeminam et non suam per mamillam [3] strinxerit, duobus solid. componat; et duos [4] solid. pro freda.

---

1) *Si quid.* Lindenbrogius et Gaupp: *Sicut.*

2) *componatur.* Solus Richthofen: *componantur.*

3) *mamillam.* Editores: *maxillam.* Probandam esse censeo emendationem, a cl. Wilda propositam (Strafr. d. Germ. 784. 1). Similiter in Leg. Alfredi, c. 30: » Gif mon on ceorliscre foemnan breost gefo, mid fif scill. hire gebete.» Vid. Schmid, Gesetze d. Angelsachs. I. 43. Thorpe, Ancient Laws and Institutes of England (Lond. 1840) I. 69. De maxilla transpuncta cf. XXII. 18. 84 et Add. III. 65.

4) *et duos.* Heroldus aliique: *IV et duos.* Numerum IV vix suo loco stare, recte monuerunt Gaupp et Richthofen. Sequens § errori ansam dedisse videtur.

LXXXIX. Si per verenda ejus comprehenderit, IV solid. comp. et duos solidos pro freda.

EPILOGUS.

Haec omnia ad liberum hominem pertinent. Nobilis vero hominis compositio sive in vulneribus, [1] et percussionibus, et in omnibus, quae superius scripta sunt, tertia parte maior efficitur.

Liti vero compositio sive in vulneribus, [2] sive in percussionibus, sive in mancationibus, et in omnibus superius descriptis, medietate minor est, quam liberi hominis.

ADDITIO SAPIENTUM

WLEMARUS.

TIT. I. DE PACE FAIDOSI.

I. Homo faidosus pacem habeat in ecclesia, in domo sua, ad ecclesiam eundo, de ecclesia redeundo, ad placitum eundo, de placito redeundo. Qui hanc pacem effregerit et hominem occiderit, novies XXX solid. comp.

II. Si vulneraverit, novies XII solid. comp. ad partem regis.

III. Si quis caballum furaverit, aut bovem, aut screonam effregerit, [3] capitali sententia puniatur, vel vitam suam pretio redimat.

1) *in vulneribus.* Herold, Lindenbr. et Siccama: *in mulieribus.* Emendatio Gaertnero debetur.

2) *in vulneribus.* Heroldus et Siccama: *mulieribus;* Lindenbrogius: *mulieris.*

3) *effregerit.* Siccama: *affregerit.*

TIT. II. COMPOSITIO VULNERUM.

I. Si quis alteri manum absciderit, XXV solid. et V denarios [1] comp.

II. Si indicem ad imum membrum praeciderit, VI solid. componat.

III. Si medium in eadem iunctura praeciderit, IV solidos et dimidium. [2]

IV. Si annularem, XII solid., si minimus [3] fuerit, solid. V.

V. Pollex ex toto abscissus sic componitur sicut IV digiti si omnes abscindantur, id est, solidis XXII et dimidio.

VI. Abscissio [4] palmae IV solid. componatur; si manus abscissa terram cadens tetigerit, ipse casus IV solid. componatur.

VII. Si digitus quilibet superiori articulo praecisus [5] fuerit, tertia portio compositionis eius exsolvatur.

VIII. Si in subteriori praecisus fuerit, duae partes compositionis solvantur.

IX. Si in ima iunctura, id est, ex toto abscissus fuerit [6], tota solutio componatur.

X. Si non praecisus, sed debilitatus et inutilis dependerit, medietas.

---

1) *denarios.* Schotanus: *denariis.*

2) *solidos et dimidium.* Herold, Siccama et Richthofen: *solidis et dimidium.*

3) *minimus.* Herold et Siccama: *si minimu.* Hinc Richthofen: *si minimum.*

4) *abscissio.* Ita Herold, non *abscisso*, uti testatur Richthofen: p. XXXIX. 3).

5) *praecisus.* Deëst in Schotani editione.

6) *fuerit.* Deëst in edit. Siccamae, Georg., Walt. et Gauppii.

TIT. III. HOC TOTUM IN TRIPLO COMPONATUR. 1

I. Pes ex toto abscissus, componatur ut manus, id est, trib. et L solidis et tremisse [2].

II. Pollex pedis undecim solidis et quarta parte solidi componatur.

III. Proximus digitus pollici tribus solidis componatur.

IV. Secundus duobus solidis et duabus partibus solidi componatur, tertius et quartus similiter.

V. Si tertia pars digiti fuerit abscissa, tertia pars solutionis componatur.

VI. Si duae partes, similiter duae partes componantur.

VII. Si totus, tota solutio componatur [3].

VIII. Si quis alium ita in caput percusserit, ut surdus et mutus efficiatur, ter L tribus solidis et tremisse [4] comp. Si alterum, et non utrumque fuerit, medietas mulctae comp.

IX. Si auris ex toto abscissa fuerit, ter duodecim solidis componatur.

X. Si nasus abscissus fuerit, ter XX duos [5] solidos et tremissem componat.

---

1) Lindenbrogius hanc habet rubricam: *De vulneribus, quae in triplo componuntur.*

2) *tremisse.* Siccama et Schotanus: *semisse.*

3) Non deëst hoc capitulum in edit. Siccamae, ubi legitur p. 38, sed omissum est in edit. Gaertneri. Recte Gauppium (qui Walterum exscripsit) reprehendit Richthofen, p. IX.

4) *tremisse.* Herold et Richthofen: *tremissem.*

5) *ter XX duos.* Siccama, Schotanus et Walter: *ter duos.*

XI. Si nasus una parte perforatus fuerit, ter IV solidis componatur.

XII. Si et cartilago perforata fuerit, ter VIII solidi componantur.

XIII. Si etiam ex altera parte telum exierit, ita ut tria foramina facta sint, ter XII solidi componantur.

XIV. Si maxilla perforata fuerit, ter IV solid. componat.

XV. Si supercilium in transversum praecisum fuerit, ter IV solid. componat.

XVI. Si ex percussione deformitas faciei illata fuerit, quae de XII pedum longitudine possit agnosci quod wlitiwam [1] dicunt, ter IV sol. componat.

XVII. Si granones praecisi fuerint, ter IV sol. componat.

XVIII. Si oculus vel os ita percussa fuerint, ut torqueantur, ter IV solid. componat.

XIX. Si palpebra praecisa fuerit, ter IV solidi componantur.

XX. Rugae [2] frontis tres, si in transversum incisae [3] fuerint, ter XII solid. componantur.

XXI. Si una, ter IV solidi.

XXII. Si homo ab alio ita in caput percussus fuerit, ut nec frigus nec calorem pro vulneris impatientia sufferre possit, ter IV solidi componantur.

---

1) *wlitiwam.* Siccama: *vuitilitivam.* Walter: *witilitivam.* Gaupp: *wlitiwam.* Cf. L. Sax. I. 5. L. Angl. et Werin. VI. 12. Ita et in Aethelbirthi Leg. 56: *laesestan wlitewamme*, ap. Schmid, I. 4 et Thorpe, I. 17, cuius videatur nota f.

2) *Rugae.* Heroldus, Siccama, Richthofen: *Rugas.*

3) *incisae.* Iidem: *incisa.*

XXIII. Si quis alium in caput ita percusserit, ut testa perforetur, ter XII solid. componat.

XXIV. Si ossa de vulnere exierint tantae magnitudinis, ut in scutum iactum [1] XII pedum spatio distante homine possit [2] audiri, unum ter IV solid. componat, aliud ter duobus, tertium ter uno solido.

XXV. Si quis alium percusserit, ut ferrum in osse figatur, ter tribus solidis componat.

XXVI. Si os apparuerit, non tamen incisum fuerit, ter solido et tremisse componat.

XXVII. Os quodcunque ferro praecisum fuerit, ter IV solid. componatur.

XXVIII. Costa si praecisa fuerit, ter tribus solid. componat.

XXIX. Si non praecisa, sed incisa perconfixa [3] fuerit, ter solido et semisse [4] componatur.

XXX. Si quis alium trans costam ita percusserit, ut vulnus ad interiora venerit, ter XII solid. componat.

XXXI. Si stomachus vel botellus perforatus fuerit, ita ut stercus per vulnus exierit, ter XXIV solid. componat.

XXXII. Si quis in iuncturam membrum [4] cuius-

---

1) *iactum.* Ita Herold, Siccama, Walter et Richthofen; Lindenbrogius emendat *iacta*, quem sequitur Gauppius. At vide Richthofenii observationem, p. XII. Cf. XXII. 71.

2) *possit.* Siccama, Walter et Richthofen: Schotanus: *possint.* Caeteri editores addunt: *sonus.*

3) *perconfixa.* Mutavit Lindenbr.: *vel confixa*, quem secutus est Gauppius.

4) *Semisse.* Lindenbr. *tremisse.*

5) *in juncturam.* Herold: *in iunctura.* Hinc Lindenbr. et Gaupp: *in iunctura.*

libet ita percusserit, ut humor ex vulnere decurrat, quem lidwagi [1] dicunt, ter IV solid. componat.

XXXIII. Si quis alium ita percusserit, ut osse inciso medulla decurrat, ter quatuor solid. comp.

XXXIV. Si quis alium vulneraverit, et ipsum vulnus sanatum cicatricem depressam et non reliquae carni aequam duxerit, quod spido dicunt, ter IIII solidis comp.

XXXV. Si brachium aut crus percussum fuerit, et ex ipsa percussione decrescerit [2] a sua grossitudine, quam prius habuerit, quod smelido dicunt, ter IIII solidis comp.

XXXVI. Qui de anterioribus dentibus unum excusserit, ter duos solid. componat.

XXXVII. Si de angularibus, ter III solid. componat.

XXXVIII. Si de molaribus, ter IIII solidos.

XXXIX. Si crinem [3] alteri de capite abstraxerit, ter IIII solidos componat.

XL. Si illum per capillos comprehenderit, similiter ter IIII solidos componat.

XLI. Qui alium in aquam impinxerit, ita ut mergatur, ter IIII solidos componat.

XLII. Qui alium fuste percusserit, ut lividum fiat, ter solidum et semissem componat.

---

1) *Lidwagi.* Ita scribendum: Frisice *lidwei.* Siccama: *liduvagi.* Heroldus, eumque secutus Richthofen: *liduwagi.* Cf. eiusdem Glossarium, p. 906.

2) *decrescerit.* Ita barbare: emendarunt Lindenbrogius, Walter, Gaupp: *decreverit.*

3) *si crinem.* In Codice Heroldino: *sic crimen.* Recte Heroldus mutavit *crimen* in *crinem*, sed perperam cum eodem vocabulum *sic* retinuit Siccama.

XLIII. Si tantum sanguinem dimiserit, ter solidum componat.

XLIV. Si quis alium unguibus crataverit, ut non sanguis sed humor aquosa [1] decurrat, quod cladolg vocant, ter x denariis Fresionicis componat.

XLV. Si quis alium in tergum aut pectus ita vulneraverit, ut vulnus sanari non possit, sed per fistulas sanies decurrat, ter XII solid. componat.

XLVI. Quodcunque membrum percussum ita debilitatum fuerit, ut ibi inutile pendeat, medietate componatur, quam componi debuit, si penitus fuisset abscissum.

XLVII. Si quis oculum excusserit, ter XL solidis componat.

XLVIII. Si non oculum excusserit, sed pupillas [2], ter viginti solidis componat.

XLIX. Si quis alii duo, aut tres aut eo amplius, vulnera uno ictu intulerit, et negare voluerit, quod uno ictu tot vulnera fecisset, liceat ei, qui vulneratus est, sua solius manu sacramentum peragere, quod tot vulnera uno ictu ei fuissent illata, et componat iuxta quod vulneris fuerit magnitudo; unumquodque vulnus secundum suam longitudinem componendum est.

L. Si longum fuerit, quantum summus articulus indicis est, uno solido compon.

LI. Si quantum duo articuli indicis sunt, duobus solidis.

LII. Si quantum duo articuli et tertius dimidius, tribus solidis.

---

1) *humor aquosa.* Lindenbrogius et Gaupp: *aquosus.* Heroldinam lectionem tuiti sunt Siccama, Walter, Richthofen.

2) *pupillas.* Heroldus et Lindenbrogius, quibuscum facit Richthofen: *pupillos.* Siccama, Walter et Gaupp: *pupillas.*

LIII. Si quantum totus index, IIII solidis.

LIV. Si supra longitudinem indicis spatium, quod inter indicem et pollicem est, fuerit adiectum, V solid.

LV. Si adiectus fuerit inferior articulus pollicis, VI solidis.

LVI. Si et superior adiiciatur, quod vocant smelo, hoc est, unius spannae longitudinem habuerit, ter VIII solid. componatur.

LVII. Si quantum inter pollicem et medium extendi potest, longum fuerit, ter duodecim solid. comp.

LVIII. Si longius fuerit, iterum ad indicis articulos recurrat, et metiatur, et sicut superius, adiiciatur et solidorum compositio.

Apud occidentales Fresiones, inter Flehi et Sincfalam, quot unciarum fuerit longitudo vulneris, tot solidorum compositione persolvitur: donec ad quinquaginta et tres solidos perveniat, et unum tremissem. Ibi nobilis homo centum et sex solidis et duobus tremissis [1] simpla compositione solvitur. Similiter inter Wisaram et Laubachi. Similiter manum ac pedem.

HAEC IUDITIA [2] SAXMUNDUS DICTAVIT.

LIX. Oculum viginti quinque solidis [3] debere componi.

LX. Qui testiculos alii [4] excusserit, ter L tres solidos et tremissem.

LXI. Si brachium supra cubitum, aut coxam transpunxerit, ter VI solid. componat.

---

1) *tremissis.* Lindenbrogius: *tremissibus.*

2) *iuditia.* Lindenbr., Walt. et Gaupp: *iudicia.* Siccama: *inditia.*

3) *XXV solidis.* Lindenbr. *XV solidis.* Walter: *viginti quinque solidos.*

4) *alii.* Walter: *alicui.*

LXII. Si brachium sub cubito, aut tibiam transpunxerit, ter III solid. componat.

LXIII. Si nasum transpunxerit, ter XII solidos.

LXIV. Si unam parietem [1] transpunxerit, VI [2] solid.

LXV. Si unam maxillam transpunxerit, sex solid.

LXVI. Qui alium in flumine, vel in qualibet aqua, in profundum impinxerit, ut pedibus terram tangere non possit, sed natare debeat, ter XII solid. componat.

LXVII. Qui alium in periculo aquae liberaverit, IIII solid. mercedem accipiat.

LXVIII. Si caballus, aut bos, aut quodlibet animal, homini vulnus intulerit, dominus eius, iuxta qualitatem vulneris, in simplo componere iudicatur, et tres partes de ipsa mulcta componantur, quarta portione dimissa.

Inter Wisaram et Laubachi tota compositio in simplo persolvitur.

LXIX. Si homo quislibet telum manu tenens, et ipsum casu quolibet inciderit super alium, extra voluntatem eius, qui illud manu tenet, in simplo iuxta qualitatem vulneris componatur.

LXX. Similiter et puer, qui nondum XII annos habet, si cuilibet vulnus intulerit, in simplo componat.

LXXI [3]. Hae [4] omnes compositiones liberi hominis sunt.

---

1) *parietem.* Siccama, Georgisch, Walter, Gaupp: *partem.*

2) *VI.* Lindenbrogius et Walter: *VI solidos;* Gaupp: *sex solid.*

3) *LXXI.* Totum hunc locum omisit Walterus, et per errorem bis attulit verba quae capitulo LXXII leguntur.

4) *Hae.* Richthofen cum Heroldo: *haec.* Caeteri editores Siccamae emendationem probarunt.

LXXII. In nobili homine [1] dimidio maioris.

LXXIII. In lito medietate minoris.

Inter Flehi et Sincfalam solidus est duo denarii et dimidius, ad novam monetam. Inter Wisaram et Laubachi duo denarii novi solidus est.

LXXIV. Si lingua praecisa, medio weregildo componatur.

LXXV. Si quis hominem [3] mortuum effoderit [4], et ibi aliquid tulerit, ut caetera furta componatur.

WLEMARUS DICIT.

LXXVI. Si quis liber uxorem alterius contra legem tulerit, reddat eam, et facinus ter L tribus solidis et tremisse [5] componat, et pro freda ad partem regis weregildum suum.

LXXVII. Si quis illicitas nuptias contraxerit, separabitur ab uxore sua, et liceat tam ei, quam et uxori legitime nubere.

LXXVIII. Si vero separati fuerint, et iterum ad invicem fuerint reversi, weregildum suum uterque componat.

Inter Laubachi et inter Flehi tres denarii novae monetae solidum faciunt.

---

1) *In nobili homine.* Heroldus et Siccama: *Ignobili hominis.* Walter: *In nobile homine.* Richth.: *in nobili homini.*

2) *Laubachi.* Heroldus et Richthofen: *Laubaci.*

3) *si quis hominem.* Siccama et Walter: *si hominem.*

4) *effoderit.* Heroldus et Richthofen: *effodierit.*

5) *tremisse.* Heroldus, Siccama, Walter, Richth.: *tremissem.*

TIT. IV [1]. DE EO, QUI ALTERI VIAM CONTRADIXERIT.

I. Si liber libero in via manus iniecerit, et contra legem viam contradixerit, aut aliquid tollere voluerit, ter IIII solid. componat, aut si negaverit, solus iuret in manu proximi.

TIT. V. DE EO, QUI ALTERUM DE CABALLO IACTAVERIT.

I. Sic ei componat, quasi eum fuste percussisset, dimidium solidum componat.

TIT. VI. DE MULIERE OCCISA.

I. Si quis mulierem occiderit, solvat eam iuxta conditionem suam, similiter sicut et masculum eiusdem conditionis solvere debet.

SAXMUNDUS.

TIT. VII. DE FLUMINE OBSTRUSO.

I. Si quis in flumine viam publicam occluserit, XII solid. componat.

WLEMARUS.

TIT. VIII. DE REBUS FUGITIVIS.

I. Si servus, aut ancilla, aut equus, aut bos, aut quodlibet animal, fugiens dominum suum, ab alio fuerit

1) *Tit. IV.* Heroldus, Siccama et Richthofen iterum: *Tit. III.* Hinc tota Additio in illorum editionibus undecim constat titulis.

receptum, et quaerenti domino negatum, et iterum depublicatum, reddat aut ipsum quod suscepit, aut aliud simile, vel pretium [1] eius, et pro furto weregildum suum ad partem regis componat.

TIT. IX. DE PIGNORIBUS.

I. Si quis in pignus susceperit aut servum aut equum, et ille servus aliquod damnum ibi fecerit, ad illum pertineat, cuius servus est, non ad illum, qui eum in pignus suscepit.

II. Si vero quislibet servum alterius per vim sustulit, pignoris nomine, quod pant dicunt, et ille damnum aliquod ibi commiserit, ille, qui eum sustulit, pro damni qualitate mulctam cogatur exsolvere.

TIT. X. DE COMPOSITIONE.

I. Vis aut furtum in duplo componitur, et ad freda weregildum.

TIT. XI. DE RE PRAESTITA.

I. Si homo alii equum suum praestiterit, vel quamlibet aliam pecuniam, talem, qualis ei praestita est, reddat domino eius; et si forte peioratum reddiderit, componat ei iuxta quantitatem, qua rem eius inpeioravit.

II. Quod si caballus, qui prestitus erat [2], ipsum

---

1) *pretium.* Herold. et Richth. *precium.*

2) *praestitus erat.* Siccama, Georgisch, Walter, Gaupp: *praestitus est.*

qui illum habuit, calcibus percussit, aut forte occidit, nullus eum solvat.

Hoc trans Laubachi:

TIT. XII. DE HONORE TEMPLORUM.

I. Qui fanum effregerit, et ibi aliquid de sacris tulerit, ducitur ad mare, et in sabulo, quod accessus maris operire solet, finduntur aures eius, et castratur, et immolatur Diis, quorum templa violavit.

HAEC HACTENUS [1].

---

1) *Haec hactenus.* Lindenbr., Georgisch, Walter et Gaupp, omissis hisce verbis, addunt: *Explicit Lex Frisionum.*

LEX ANGLIORUM ET WERINORUM.

Editiones:

1. Originum ac Germanicarum Antiquitatum libri, — op. B. J. *Herold.* Basil. 1557. fol. p. 127--130.
2. Codex Legum Antiquarum — ex bibl. F. *Lindenbrogii.* Francof. 1613. fol. p. 479—486.
3. Scriptores rerum Brunsvicensium, ed. G. G. *Leibnitz.* Hanov. 1707. fol. t. I. p. 81 sqq.
4. Corpus Iuris Germanici. Ed. P. *Georgisch.* Hal. 1738. 4. p. 445—452.
5. Barbarorum Leges Antiquae, coll. J. P. *Canciani.* Venet. 1781. fol. t. III. p. 31—36.
6. Corpus Iuris Germanici Antiqui. Ed. F. *Walter.* Berol. 1824. t. I. p. 375—381.
7. E. Th. *Gaupp*, das alte Gesetz der Thüringer, oder die Lex Angliorum et Werinorum hoc est Thuringorum in ihrer Verwandtschaft mit der Lex Salica und Lex Ripuaria dargestellt und mit erklärenden Anmerkungen herausgegeben. Bresl. 1834. p. 293—418.
8. P. C. *Molhuysen*, de Anglen in Nederland, of aanmerkingen over de Lex Angliorum et Werinorum hoc est Thuringorum, in Collectaneis a doct. Nijhoff editis: Bijdragen voor Vaderlandsche Geschiedenis en Oudheidkunde, III. Arnh. 1842. p. 50—72.

INCIPIT LEX ANGLIORUM ET WERINORUM [1], HOC EST THURINGORUM.

TIT. I. DE HOMICIDIIS.

I. Si quis Adelingum occiderit, DC solidis componat.
II. Qui liberum occiderit, CC solid componat [2].
III. Et de utroque [3] si negaverit, cum XI iuret [4],

1) *Angliorum et Werinorum.* Heroldus in Inscriptione *Angliorum*, deinceps vero semper: *Anglorum.* Dahlmannus (Forschungen auf dem Gebiet der Geschichte, I. 441) legendum esse coniicit: *Angliorum Etwerinorum*, censetque Anglios Hetverinos Slesviciam olim occupasse.

2) Ita et in Canuti constitutionibus de Foresta, c. 33: »Quod si intra septa forestae reperiantur, talis exquiratur heres, et emendet secundum pretium hominis mediocris, quod secundum legem Werinorum, i. Thuringorum, est ducentorum solidorum." Spellmannus in Glossario Archaeologico p. 240, habet *Churingorum:* sed recte locum emendavit Thorpe, Ancient Laws, I. p. 430. Vid. et Schmid, l. l. p. 174. not. et Gaupp, l. l. p. 85.

3) *utroque.* Lindenbr. *uterque.*

4) *Cum XI.* Ita Heroldus et Cod. Corb. saeculi X vel XI, quem accurate descripsit Ern. Spangenberg, in opere notissimo: Beyträge zu den Teutschen Rechten des Mittelalters. Hal. 1822. 4. p. 182, 183. Lindenbr. *cum XII*, quem sequitur Georgisch.

aut in campum exeat, utrum ille voluerit, ad quem causa pertinet.

IV. Qui servum occiderit, XXX solid. componat, aut, si negaverit, cum V iuret.

TIT. II. DE ICTU LAESIS.

I. Qui Adelingum ictu percusserit, XXX sol. componat, aut cum V iuret.

II. Qui liberum, X solid. componat, aut cum quinque iuret.

TIT. III. DE VULNERIBUS.

I. Sanguinis effusio Adelingi XXX sol. componatur [1], aut sex hominum [2] sacramento negetur.

II. Liberi hominis X solidis, aut sex hominum sacramento negetur.

TIT. IV. DE FRACTURA OSSIUM.

I. Os fractum Adelingo XC sol. componatur, aut XII hominum sacramento negetur.

II. (III).[3] Libero XXX solidis componatur [4], aut sex hominum sacramento negetur.

---

1) *componatur.* Cod. Corb. *componat.*

2) *sex hominum.* Gaupp et Gengler: *cum sex hominum.*

3) (III) In Heroldina editione novus hic titulus, cui rubrica: *De ossis fractura in libero.*

4) *componatur.* Cod. Corb. *componat.*

TIT. V (VI). DE TRANSPUNCTIONE ET MEMBRIS LAESIS.

I. Corpus transpunctum similiter.

II. Coxa vel brachium transpunctum, ut sanguinis effusio.

III. Oculus unus, vel ambo excussi Adelingo CCC solidis componatur [1], libero [2] C solidis: aut si negat, XII hominum sacramento negetur.

IV. (V). Nasus abscissus, similiter. Auris similiter. Lingua, similiter.

V. (VI). Manus vel pes abscissus, similiter: aut si manca penderint, medietas componatur.

VI. (VII). Qui Adelingo unum vel ambos testiculos excusserit, CCC sol. componat. (VIII). Si libero, C sol. componat, vel iuret, ut superius.

VII. Si vectem similiter [3].

VIII. (IX). Qui pollicem absciderit, XXXIII sol. et tremissem componat. (X). Si indicem et impudicum, similiter. (XI). Si medicum et minimum, similiter.

IX. Articulus pedis abscissus ut os fractum componatur [4].

X. (XII). Wlitiwam [5] L solid. componat, vel cum sex iuret.

---

1) *componantur.* Cod. Corb. *componat.*

2) *libero.* Ad sequentem paragraphum (IV) haec refert Heroldus. Similiter § VI.

3) *Si vectem similiter.* Haec cum superiori paragrapho coniungit Heroldus.

4) *componatur.* Cod. Corb. *componat.*

5) *Wlitiwam.* Heroldus: *Vutilivam.* Lindenbrogius: *Vultivam.* Gauppius: *Wtilivam.*

XI. (XIII). Qui alium percusserit ut surdus fiat, Adelingo CCC solid. componat. Libero C solid. componat, vel cum XI iuret.

HAEC IUDITIA [1] WLEMARUS DICTAVIT.

XII. (XIIII). Si contra stomachum [2] vulnus factum [3] claudi non potuerit, XII sol. pro ipsa apertione componat.

XIII. (XV). Si ipse stomachus perforatus fuerit, nec vulnus medicamento claudi potuerit, pro vulneris apertione totidem solid. componat, quot [4] pro ipso vulnere composuit.

XIV. (XVI). Si intestina vel botelli perforati claudi non potuerint, similiter faciat [5], id est, totidem solid. apertionem vulnerum componat, quot pro ipsis vulneribus composuit.

XV. (XVII). Si utraque coxa ferro vel quolibet telo traiecta [6] fuerint [7], VI solid. componat.

XVI. (XVIII). Si folliculus testiculorum cum coxa, IX sol. componat.

XVII. (XIX). Si utraque coxa cum testiculis fuerint perforata, XV solid. componat [8].

XVIII. (XX). Si quis alium in facie percusserit, ut oculus vel os torqueatur, IIII solid. componat.

---

1) *Iuditia.* Gaupp: *iudicia.* Haec iudicia omissa in Codice Corbeiensi.

2) *stomachum.* Herold: *stomacum.*

3) *factum.* Gaupp et Gengler: *factum erit, et.*

4) *quot.* Herold: *quod.* Similiter in sequente §.

5) *faciat.* Herold: *faciant.*

6) *traiecta.* Herold: *traiecto.*

7) *fuerint.* Gauppius: *fuerit.*

8) *componat.* Lindenbr.: *comp.*

XXXIX). I). Si quis alium in brachio vel in crure percusserit, ut ipsa membra decrescant, et ita fuerit subtiliatum, ut duos [1] digitos minuatur, IIII solid. componat; (XXII) si unum, II solid.; si digitus dimidius, solid.; si sexta pars digiti est, unum tremissem.

XX. (XXIII). Qui harpatorem, qui cum circulo harpare potest [2], in manum percusserit, componat illud [3] quarta parte maiori compositione, quam alteri eiusdem conditionis homini. Aurifici [4] similiter. (XXIIII.) Foeminae [5] fresum [6] facienti [7] similiter.

TIT. VI (VII). DE ALODIBUS. [8]

I. Haereditatem defuncti filius, non [9] filia suscipiat. Si filium non habuit qui defunctus est, ad filium pecunia et mancipia, terra vero ad proximum paternae generationis consanguineum pertineat.

II. Si autem nec filiam habuit [10], soror eius pecuniam et mancipia, terram proximus paternae generationis accipiat.

III. Si autem nec filium nec filiam neque sororem

---

1) *ut duos.* Heroldus: *sub duos.*

2) *Qui cum circulo harpare potest.* Haec verba e textu eiicienda videntur, ut glossema.

3) *illud.* Ita Heroldus; Lindenbrog.: *illum.*

4) *Aurifici.* Lindenbr.: *Aurifices.*

5) *Foeminae.* Lindenbrog.: *Foeminas.*

6) *fresum.* Mueller, Der Lex Sal. Alter u. Heim. p. 111: *fresium.*

7) *facienti.* Heroldus et Lindenbr.: *facientes.*

8) Hic titulus primus est in Codice Corbeiensi, nulla tamen inscriptione addita. Sequuntur tituli VII, VIII, X, XII, et tandem adduntur tit. I—V, praefixa rubrica: *Lex Thuringorum.*

9) *non.* Omissum in Cod. Corb.

10) *nec filiam habuit.* Cod. Corb.: *nec filiam non habuit.*

habuit, sed matrem tantum superstitem reliquit [1], quod filia vel soror debuerat [2], mater suscipiat, id est, pecuniam et mancipia.

IV. Quod si nec filiam nec filium nec sororem aut matrem demisit superstites, proximus qui fuerit paternae generationis, haeres ex toto succedat, tam in pecunia atque mancipiis, quam in terra.

V. Ad quemcumque haereditas terrae pervenerit, ad illum vestis bellica, id est lorica, et ultio proximi et solutio leudis debet pertinere.

VI. Mater moriens filio terram, mancipia, pecuniam demittat, filiae vero spolia colli, id est, murenas, muscos, monilia, inaures, vestes, armillas, vel quicquid ornamenti proprii videbatur habuisse.

VII. Si nec filium nec filiam habuerit [3], sorori pecuniam et mancipia, proximo vero paterni generis terram relinquat.

VIII. Usque ad quintam generationem paterna generatio succedat [4]. Post quintam autem filia ex toto, sive de patris sive matris parte, in haereditatem succedat, et tunc demum haereditas ad fusum a lancea transeat.

TIT. VII (VIII). DE FURTIS.

I. Qui gregem equarum in parco [5] furatus fuerit, in triplum componat [6]. Si autem foris gregem com-

1) *reliquit.* Lindenbr.: *reliquid.*

2) *debuerat.* Lindenbr. et Georgisch: *debuerunt.* Lectionem Heroldinam firmat Cod. Corb.

3) *habuerit.* Heroldus et Lindenbrogius addunt: *sororem vero habuerit.*

4) *Usque — succedat.* Haec ad § VII refert Heroldus.

5) *parco.* Herold. et Cod. Corb.: *parrico.*

6) *componat. Si.* Gauppius: *componat; si.*

movit, quot equae fuerunt, tot capita in [1] commotionis mulctam componat, et quot abstulit, tot in triplum componat. Hoc de cervo [2], bove, vacca, ove, porco iudicatum est.

II. Qui scrofas sex cum verre, quod dicunt son [3], furatus est, in triplum componat, et delaturam sol. XII [4] et in freda totidem.

III. Qui ornamenta muliebria, quod rhedo [5] dicunt, furto abstulerit, in triplum componat, delaturam XII sol. et in freda similiter.

IV. Homo in furto occisus, non solvatur; sed si proximus eius dixerit innocentem occisum, campo eum comprobet innocentem, vel XII hominum sacramento, furem credi iuste occisum.

V. Qui hominem liberum infra patriam vendiderit, solvat eum quasi occisum, et in fredam sol. XII.

(VI) [6]. Qui liberum extra solum vendiderit, solvat eum similiter, et in fredam sol. LX. Similiter de foemina.

VI. (VII). Qui liberum ligaverit, X sol. componat. (VIII). Qui Adelingum, XXX sol.; si negat, cum XI [7] iuret aut campo decernat.

VII. (IX). In omni re furto ablata, si is, cui res componenda est, dixerit capitale peius esse, quam quod

1) *in.* Deëst in Herold. edit. et in Cod. Corb.

2) *cervo.* Herold. et Cod. Corb. *servo.*

3) *son.* Cod. Corb. *sonest.* Cf. L. Rip. tit. XVIII.

4) XII. Editores ad Codicum fidem. VII. Sed errorem librarii textum depravasse; recte vidit Genglerus, D. R. G. I. 169.

5) *rhedo.* Cod. Corb. *rhemdo.*

6) (VI). Alia §§ distributio in edit. Herold.

7) *cum XI.* Editores praeter Heroldum et Gauppium: *cum XII.* Hic legendum esse coniicit: *cum V.* In Cod. Corb. legi *cum XI* adfirmat Spangenberg, l. l. p. 183.

ablatum est, iuret de debito [1] solus, peius non esse quod offert illo quod abstulit, et ita solvat secundum legem.

TIT. VIII (IX). DE INCENDIIS. [2]

Qui domum alterius noctu incenderit, damnum triplo sarciat, et in freda sol. LX; aut si negat, cum undecim iuret, aut campo decernat.

TIT. IX (X). DE LIBERTO OCCISO.

Servus a domino per manumissionem libertate donatus, si occisus fuerit, LXXX sol. componat(ur), vel quicquid ei solvi debeat, medietas compositionis liberi hominis solvatur.

TIT. X (XI). DE VI.

I. Qui liberam foeminam rapuerit, reddat eam cum sol. CC et quicquid cum ea tulit [3] restituat, addens ad unamquamque rem sol. X.

II. Si libera foemina sine voluntate patris aut tutoris cuilibet nupserit, perdat omnem substantiam quam habuit vel habere debuit.

III. Qui foeminam nobilem virginem nondum parientem occiderit, DC solid. componat; si pariens erit [4], ter DC sol.; si iam parere desiit, DC solid.

IV. Qui liberam non parientem occiderit, bis LXXX [5]

---

1) *de debito.* Herold. *debito.* Coniecturam proponit Gauppius: *debitor.* Et recte, ni fallor: syllaba *de* in Codd. geminata.

2) *De incendiis.* Herold.: *de incendio.*

3) *tulit.* Cod. Corb. *retulit.*

4) *erit.* Cod. Corb. *erat.*

5) *bis LXXX.* Legendum esse coniicit Gauppius: *ter LX.* Gul. Muellerus (l. l. p. 109): *bis L solid. et duos tremisses.*

et VI solid. et duos tremisses componat; si pariens est, DC solid.; si iam desiit, CC sol. componat.

V. Si servus [1] liberam foeminam rapuerit, dominus compositionem solvat, ac si occisa fuisset.

VI. Similiter de viduae [2] raptu vel interfectione iudicatum est.

VII. Qui alterum intra septa propria occiderit, in triplum componat, vel quidquid damni ibi commiserit, tripliciter emendet.

VIII. Qui nolens sed casu quolibet hominem vulneraverit vel occiderit, compositionem legitimam solvat.

IX. Qui domum [3] alterius collecta manu hostiliter circumdederit, trium primorum qui fuerint unusquisque sol. LX componat et regi [4] similiter. De caeteris, qui eos secuti sunt, sol. X unusquisque et in bannum regis solidos LX.

TIT. XI (XII). SI QUADRUPES DAMNUM FECERIT.

Si quadrupes damnum quodlibet fecerit, possessor pro qualitate damni vel compositionem solvat, vel sacramentum iuret.

TIT. XII (XIII). DE MINORIBUS CAUSIS.

Quicquid homo alteri fecerit, quod iniustum factum dicatur, X solidis componat, aut cum quinque iuret.

---

1) *V. Si servus.* Haec in editione Heroldina leguntur post § VIII, in Cod. Corb. post tit. XV.

2) *de viduae.* Cod. Corb. *de dividuae.*

3) *IX. Qui domum.* In Cod. Corb. haec leguntur post tit. XV.

4) *regi.* Lindenbrogius, Georgisch, aliique: *rei.* Lectionem *regi* tuetur Rogge, Gerichtsw. d. Germ. 64. 80.

TIT. XIII (XIV). DE POTESTATE TESTANDI.

Libero homini liceat haereditatem suam cui voluerit tradere.

TIT. XIV (XV). DE VENEFICIIS.

Si mulier maritum veneficio dicatur occidisse, vel dolo malo ad occidendum prodidisse, proximus mulieris campo eam innocentem efficiat: aut si campionem non habuerit, ipsa ad novem vomeres ignitos examinanda mittatur.

TIT. XV (XVI). DE CAMPO.

A duobus solid. usque ad maximam compositionem in furto [1] et vulneribus campus iudicat [2].

TIT. XV (XVI). DE DELICTIS SERVORUM.

Omne damnum quod servus fecerit, dominus emendet.

TIT. XVII (XVIII). DE ANIMALI ALIENO LAESO.

I. Qui quadrupedia [3] alterius in sepem cuiuslibet seu fossam minaverit, ibique vel mortua fuerint, vel damnum aliquid pertulerint, is qui ea minavit, damnum emendet.

---

1) *furto.* Walter: *furtu.*

2) *iudicat.* Cod. Corb. *iudicatur.*

3) *quadrupedia.* Cod. Corb. *quadrupeia.*

II. Si homo laqueum vel pedicam vel quodlibet machinamentum ad capiendas feras in sylva posuerit, ibique pecus vel iumentum alterius captum vel mortuum fuerit, qui machinamentum fecit, damnum emendet.

EXPLICIT[1] LEX ANGLIORUM ET WERINORUM.

2) *Explicit.* Haec non addita sunt in edit. Herold.

CORRIGENDA.

p. 11 *l.* 20 hàbuerit *l.* habuerit
» » » 22 auferendam *l.* auferendum
p. 16 not. 3 *comporant* l. *componant*
p. 20 not. 4 deleatur.
» » *l.* 20 eoum *l.* eorum
p. 24 *l.* 9. 8 *l.* 3
» » *l.* 10 descriptis *l.* descriptis
p. 52 *l.* 13 filium *l.* filiam